

sum consummatum, post fidem servatam¹ illam illa in illa die iusticie coronam.

Legationem vestram ad fratres fideliter peregi. Sed illi, quia^a vobis peregre eunte inaudito more dimissi in amaritudine spiritus et desperatione misericordie obdurato ad omnes miseras animo fuerunt et sunt, sermonibus meis omnino non attenderunt, id solum pre oculis habentes, quod a vobis ore ad os audierunt et viderunt. Aiunt enim, ut verba illorum quasi viva voce vobis exprimam, locum et rem publicam suam a die, qua fundata est, floruisse usque huc et de die in diem crementum accepisse, sed si omnia eorum conferantur detrimenta, plus se a vobis uno hoc anno quam L superioribus sub V decessoribus vestris perdidisse.² Dicunt etiam locum suum antehac nominatissimis in Germania regularibus pro religione et reverentia sua celebrem fuisse, nunc autem et infimis in ludibrium et prorsus in spectaculum omnibus hominibus devenisse. Addunt etiam adhuc presens detrimentum non tantum sibi ponderare quantum recordationem miseram et efferam illam maledictionem posteritatis secuturæ, dicentes quia iuniores, qui^b post nos^c erunt, forsitan etiam nomina nostra eradent de libro vite sue, si rem publicam, quam florentem accepimus, propter privata commoda eradicari paciamur nostro tempore. Omnino ergo fratres nostri in agone sunt, ita ut senes nostri conquerrantur se in hæc tempora reservatos, cum possent iam honorifice cum fratribus suis quievisse, iuvenes autem coetaneos suos felices asserant, qui se ante hanc ignominiam de loco nostro quoquomodo subtraxerant. Ad summum desperata misericordia volebant mox epistolas et legationes ad fratres et coepiscopos vestros, ad duces, ad curiam et ad omnes curiales dirigere, et si minus sic profecissent, ad apostolicam sedem proclamare, quia etiam veterani nostri magis elegerunt proscriptionem et exilium perpeti quam videre rem publicam suam sic dissipari. Obtinui tamen vix quoquomodo has breves inducias. Et nunc rogo et fideliter moneo

25. ^a) so c. (statt qui a?). ^b) quia c. ^c) korr. aus n(on) c.

¹) Vgl. 2. Tim. 4. 7. ²) Die Zählung ist ungenau, Gunther war selbst erst der fünfte Bischof von Bamberg; die Zahl 50 — in Wirklichkeit waren es 56 Jahre — ist natürlich nur als runde Zahl gemeint. Dem Ganzen liegt wohl zugrunde, daß das Kapitel zur Bestreitung der Kosten von Gunthers Wallfahrt einer Veräußerung von Bamberger Kirchengut zustimmen sollte.